

SCRIPTA

Numéro Scripta : 656

Auteur(s) : Philippe de Malpalu, Rouen (chanoine)

Bénéficiaire(s) : Jean, maçon [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1200...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Donation d'une mesure à maître Jean par Philippe de Malpalu, chanoine de Rouen

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° XCIX, p. 127-128.

Dissertation critique

Philippe de Malpalu est chanoine de Rouen au début du XIII^e siècle.

Texte établi d'après a

Sciunt omnes quod ego Philippus de Mala Palude, Rothomagensis canonicus, concessi et tradidi magistro Johanni, cementario, quandam terram retro masagium ipsius Johannis de vico Sancti Amandi, quam possederat Ricardus de Mala Palude, avunculus meus, Rothomagensis decanus, sicut signata est et metata per metas, a tenemento ipsius Johannis usque ad tenementum quod prefatus Ricardus, avunculus meus, habuerat de Christoforo, et sicut se porportat a meta tenementi Gillelmi de Andeli et meta vicinorum manentium ad vicum Sancti Nicholai, inter has duas metas ; tenendam hanc terram de me et heredibus meis eidem Johanni et heredibus ejus libere et quiete et hereditarie, reddendo inde michi et heredibus meis annuatim decem solidos usualis monete, medietatem in festo sancti Michaelis et medietatem in Pascha. Licet autem eidem Johanni et heredibus ejus de hac terra facere omnem voluntatem suam, sicut de suo proprio, salvo prefato redditu et jure dominico ; et ego et mei heredes ei et heredibus suis illam debemus garantizare contra omnes gentes, et de omnibus redditibus adquietare per predictum redditum. Pro hujus autem hereditagii concessione, dedit michi idem Johannes decem libras turonensium, que fuerunt pacate ad testamentum prefati Ricardi de Mala Palude faciendum, de quo ego et Bartholomeus Crassus et Willelmus de Sancto Paulo, canonici Rothomagenses, executores eramus. Ut autem hoc firmiter teneatur, sigillo meo confirmavi et confirmari feci capituli Rothomagensis sigillo et magistri Stephani Clarenboudi, tunc domini illius feodi, sigillo. Testibus hiis : Roberto, tunc priore de Monte Leprosorum, magistro Simone Medico, Gillelmo de Andeli, Gillelmo Boart, Radulfo de Bordeni, Hamone Anglico, Ricardo de Macello, Roberto, persona Sancti Vigoris, clericis, Willelmo Borger, Gaufrido de Buscallia.